

AB

136170

als OT ^{lo}
ws
Augustinus

PARAPHRASIS

4
ORATIO,
NIS DOMINICAE
HEROICO CARMINE
REDDITA



A

M. LUDOVICO
Salueldo Calensi.



Nichii v.

missit Ioannu

poenus pla

sis numi


lou ykig

IEN AE

Ex Officina Typographica Do-
nati Ritzenhaini.

Anno M. D. LXIX.

TE ET INTEGRITATE ORNATISSIMIS
viris, Dominis Consulibus, ceterisq;
Senatoribus Reipub: Calensis,
Dominis ac amicis suis co-
lendis. S. D.



THOC CARMEN MEVM
sub nominis vestri inscriptio-
ne ederem, mouit me & hu-
manitatis & liberalitatis ve-
stræ multis modis mihi per-
spectæ ratio. Fuit enim vestra cum erga
omnes honestarum artium cultores tum
in me semper benevolentia singularis, &
animus in iuuandis ac prouehendis stu-
dijs liberalis & promptus. Quamobrem
summopere mihi in id incumbendum e-
rit, vt vestram benevolentiam non tan-
tum conseruem, sed etiam quibus possum
studijs augeam. Etsi autem meam in scri-
bendo carmine tenuitatem libenter ac
verecundè agnosco, & tantum abest, vt
me exercitatis in hoc studiorum genere,
viris inferam, vt me etiam illis, qui à na-
tura adiuuantur & cum longa accurataq;
optimorum Poetarum lectione & obser-
uatione, tum diligenti exercitatione ac

A 2 imis

enecerunt & prætare ponunt, omni re-
uerentia subijciam: tamen quia præstan-
tissimorum virorum vestigia etiam ex
aliquo interuallo sequi, suam habet lau-
dem, spero conatum meum à nemine re-
præhensum iri, qui intelligat me ideo
hanc operam instituisse, vt aliquot meæ
erga vos obseruantiae specimen ostende-
rem. Vestrā igitur prudentiam quām
possum officiosissimè rogo, vt quale qua-
le est, quod vobis à me offertur, benignè
accipiatis, & vestrā æquanimitate mi-
hi ad scribendum industriam au-
geatis. Bene valete. Datæ Ie-
næ 16. Calendas Junij.
Anno nati Salua-
toris 1569.

Vestræ Pruden-
studiōsiss:

M. Ludouicus
Salueldus Ca-
lensis.

ORATIO

M I N I C A.

Audi sancte Deus, qui mundi fata gubernas,
Audi summe Pater natorum vota tuorum.
Qui licet in terris terreno corpore pressi
Omnibus expositi fortunæ fluctibus hærent:
Attamen erectis celsas super ætheris arces
Ad te suspirant animis, cupiuntq; relictis
His tandem exuuijs spaciofa per astra volantes
Latisonis cantare pios tibi vocibus hymnos.

Quàm male degeneres rabidi nos dirus Auerni
Avulso cælo furor in contraria vertit
Naturæ vicia, & dulci spoliauit honore
Eripiens prima infusas ab origine dotes.
Quàm primùm illiciti seducta cupidine pomi
In tetras colubri consensit fæmina fraudes,
Persuasitq; suo fructum gustare marito.

Heu quibus inuoluit corruptum angoribus or-
Ista ruina patris? contemtum numinis istum (bem
Quam grauibus luimus pœnis, reat turba, nepotes?
Tartareis quoniam mens illaqueata tenebris
Squallit ut horrendi fædatum carceris antrum.
Acribus in reprobum quin ipsa sequacia sensum
Corda tument stimulus, & depravata voluntas
Semper in aduersum viciofo nititur æstu,

A 3 Affectatq;

Tu vero ingenti nosiri misereris amore,
Et quos iusticiæ damnari iusserat ordo
Vnigeni merito nati mediante benignus
Conseruat fauor, & coelesti sede reponit.
Scilicet arridet chari tibi blanda parentis
Vox magis, austeri quam nomen iudicis, ergo
Faucibus creptos Mortis, tristisq; Barathro
Ad cœli reuocans commercia nescia fine
Hæredes facis esse tuos, tecumq; per æuum
Viuere coelicolis similes. Quæ missus ab alto
Fœdera diuini confirmat Spiritus oris.
Illustrata sacris qui pectora motibus implet,
Expellensq; metus animi seruilis inertes
Saluificæ validam fidei corroborat arcem,
In verosq; animat gemitus & vota precantes.
Ille pater, pater ille pio de pectorc clamat,
Ille vni pariter capit in os copulat omnes,
Omnes baptismi fontem deducit ad unum,
Omnes vnius saluatos sanguine Christi
Vna sp̄c releuat, portum dans omnibus unum
Vno omnes docet ore Deo vni fundere vota.
Quod iubet ergo tuus, qui tecum tantus, ut ipse
Filius aequalē fert maiestatis honorem,
Per nomen dare vota suum, tua poscere dona,
Et certa orandi nobis quoq; verba reliquit:

Ora-

Non a nōis patimis animo jasper astra uuluis.

Da Pater vt (semper qnod sanctū pmanet in se)
Nomen in orbe tuum vero celebretur honore,
Vt populi tua verba colant, tua iussa sequantur
Teq; Deum verum agnoscant, idola relinquant,
Quosq; supersticio cultus & numina finxit,
Agnita diuini damnent post dogmata verbi,
Conuersiq; suis concretum moribus omnem
Ex animo resecant næuum, fugiantq; renati
Infandam scelerum segetem, ne turpiter ausz
Dedecorent aliquo diuinum crimine nomen.
Sed vero ardentes viuant pietatis amore,
Inuidiæq; faces, & amaræ prælia linguae
Extinguat placidis humilis patientia dictis
Exemplo informata tuo, clarissima mundi
Lumina qui rectis præbes, simul, atq; malignis,
Et largum cœlo super omnes depluis imbrem.
Quis tamen inter nos sanctos operabitur actus?
Tu nisi sanctifices, nisi tu prius ora resoluas
Afflatu purgata tuo, quis sancta loquetur?
Polluti sumus, & captas Adamantina linguas
Vincula constringunt, immundū peccatus habemus,
Te sine nil sanctum, nihil est venerabile nobis.
Tu nobis immitte tui spiramen amoris.
Vt nos succendat, commissa piacula vitæ

A 4 Discu-

Vt tibi quod facimus p Christū opus omne p̄betur.

*Quin etiam pacata tui moderamina regni
Profer, & hostiles inter dominare cateruas,
Atq; animos contunde feros, & ferrea verbi
Corda tui sceptro emolli, compesce, reforma.
Quosq; tenebrarum regnis, Stygioq; tyranno
Per culpam addictos fontes genuere parentes
Hos tua sacrata lotos baptismatis vnda
Ætherei faciat consortes gratia regni,
In quo nec gemmis collucent tecta, nec auro,
Nec fremit audaci glomerata satellite pompa.
Sed simplex & inops aspersas sanguine Christi
Gens induit a togas veræ documenta salutis
Tractat ouans, pangitq; melos, cætuq; frequenti
Laudibus & sancto celebrat tua numina cultu,
Contemto mundi vano fallacis honore
Atq; voluptatum stimulus è corde reuulsis.*

*Et tua quod statuit de nobis iusta voluntas
Libera perficiat semper, nostrasq; domando
Flectat in obsequium mentes atq; aspera colla
Siue velis dura attritos nos sorte probari,
Ærumnas humili constanter corde feramus
Siue velis lætis rerum successibus uti,
Non ferat in præceps fragili fortuna fauore
Sed tua cœlestes faciunt ceu iussa ministri*

Non

*V*sq̄ tuum tua non ægra pietate sequamur
*I*mperia, & vero tibi coniungamur amore
*C*allidus & quicquid serpens & friuolus orbis
*I*ntentat, tutas soluat formidine terras.

*D*a nostris etiam membris alimenta caducis
Et mortale sibi quem poscit corpus amictum
*E*largire Deus, qui pīcti hlia campi
*V*ere nouo varijs floresq̄ coloribus ornas,
Et viles dignaris aues nidoq; relictos
*I*mplumes pullos immanis pascere corui.
*D*a pius & sapiens patrias cum laude gubernet
Rector opes, cui religio, cui publica curæ
Utilitas, placido qui commendatus amore
Non dubitet pulcram pro lege & p̄ grege mortem
Oppetere, & fines libertatemq; tueri.
*D*a pacem, & placidæ conserua pacis amicas
Artes, atq; bonos inter nos asserte mores.
*Q*uicquid & assiduos hæc vita requirit in usus
Alme Pater natis tu diues cgentibus adde.
Et quamuis fermè delinquimus omnibus horis
Peccati squallore fluens & sordida massa,
Atq; tuam vitijs iram pænasq; meremur:
Nostra tamen trepido flentes delicta pauore
*D*amnamus, veniamq; pio te poscimus ore
*P*er tormenta crucis Christi, per mortis agonem,

A S Quo

*Ne nos pro meritis vlcijcere vindice a dextra,
Nec culpas ad amissim omnes grauis exige iudex,
Sed bonus esse velis, miseris peccata professis.
Sic etiam acceptus cum nos dolor urget in iram,
Fratri ob offensam, non indulgebimus illi,
Sed veniam dabimus quoties res poscit amico
Erroremq; omnem placido candore tegemus.*

*Quot porro fulgent radianti sydera coelo,
Quot Lybicum tenuis mare corpora voluit arenæ:
Tot mala, tot patitur durissima vita labores,
Quos mihi centenis non fas est dicere linguis.
Hinc furit indomitum Stygij vis effera monstri,
Et sibi subiectum quassat, mouet, eruit orbem.
Mille dolos, & mille nocendi fabricat artes,
Tollat ut è medio sinceri dogmata verbi,
Doctoresq; pios domet igne, & deleat vndis,
Et uarijs tormentorum laniena figuris
Extinguat fidei stabiles in agone manentes.
Hinc viciosa malis affectibus impugnatur,
Nec moderatrices audit caro mentis habens.
Excusso veluti sternax sessore caballus
Per sata culta cito ruptis volat impete loris.
Non est in nostris, tot vincere, viribus, hostes,
In nostro nec Marte situm est, tu pectora flatus
Vi spirante tui superindue fortibus ausis.*

Vt mu-

Et protecta jactis annas et menses
Atq; suo viētrix rabidum cum principe mundum
Ingentes & opum pedibus conculces aceruos,
Et propria latum figat de carne triumphum.
Atq; immortalem lātetur adepta corondm.

Deniq; cum nō sit prauo quod in orbe morem ur,
Est ubi perpetuus dolor, & grauis vndiq; luctus
Corda terit, macerat, contorquet, torret, & exest.
Momentoq; leui fallaci gaudia fuso
Deludunt miserios, & inani lāetus honore
Ocyus aduersa fortunæ euertitur aura.
Da Pater, vt cum depositam tibi reddere vitam
Iussiris, in vera fidei statione lubenti
Terribilem cunctis subeamus pectore mortem,
Mortem, quæ nobis cunctorum meta malorum,
Et quæ prima patet cœlestis ianua vitæ.
Factuus extrema nobis solator in hora
Duro in conflictu (quando accusator acerbos
Ingeminat stimulus peccati, & verbera torquet
Intentatq; reis rapidæ tormenta Gehennæ)
Mitiget afflatu duri certaminis astum.
Corporeaq; animam excipiens compage solutam
Angelus ad rutili vehat aurea limina cœli,
Quo gemitus procul omnis abest, sedesq; beatas
Felices habitant animæ, placidoq; fruentes

Collo-

HYMNVS DE CHRI- STIANO MILITE.



*Anetæ parabit se cruci,
Christo suum nomen duci
Quisquis dat, ille desides
Scit excitare milites.

Animis opus præsentibus,
Tribus resistendum hostibus.
Hæc pugna nec stat sanguine,
Verum salutis munere.

Mundi voluptas allicit,
Honoris aura concutit,
Opum fames cor occupat,
Orco libido mancipat.

Obducta mens caligine
Solet Deum contemnere,
In corde contumacia
Legi ruit contraria.

Hinc hostis infestissimus
Nobis Draco fit obuius,
Ignita cuius spicula
Demoliuntur pectora.*

Ergo

*Armis, manumq; conseres?
Amor Dei, spes & fides
Tuentur, & sanctæ preces.
Dux Gedeon fortissimus
Tradit suis cohortibus
Tubas & ardentes faces,
Et hostium fugat greges.
Sic Christus inuictissimus
Princeps suos exercitus
Verbi subornat buccinis,
Et luce sancti Flaminis.
His hostis armis vincitur,
Hoc mundus ense cæditur,
Succumbit his telis caro,
Victor potitur premio.
Ponenda vita pro duce?
Quid tum: sequemur strenue
Nostræ ducis vestigia
Ob nostra cæsi crimina.
Hæc vita vitæ somnium,
Et mortis est ludibrium.
Sed vera vita Christus est
Resuscitare qui potest.
Corpus rogo comburitur?
Creator at non tollitur.*

Redin-

Scit, qui creauit omnia.
Domo fugamur exules?
Sugunt hirudines opes?
Cœlum iubemur querere,
Opes & illic ponere.
Illudimur si fabulis,
Proscindimur conuicijs:
Sciamus illustrissimam
Restare nobis gloriam.
Pugnabit ergo fortiter,
Nedes, caue, te turpiter,
Adest Deus pugnantibus
Aduersus hostis impetus.

HYMNVS DE BONO PA- STORE CHRISTO.



Fili Patris unice,
Inferni domitor, salus
Mundi, iusticiæ scopus,
Et spes Christe fidelium.
Ingentes tibi gratias
Soluit Christiadum chorus,
Æternam tribuens boni
Pastoris tibi gloriam.
Concessis equidem cibis
Pascis non modo corpora,

Sed

Languoribus
Digressas stabulis oves
In veram reuocas viam,
Ignarasq; viae regis
Sancti numine Spiritus.
Et defendis oves tuas
Aduersus rapidos lupos,
Vitam nec dubitas tuam
Sancto pro grege ponere.
Infestam pecori luem
Depellis medica manus,
Ægroti gregis optimo
Sanans vulnera Balsamo.
Oramus prece supplice
Nos audire tuam sine
Vocem, nec rābidum sequi
Clamorem insidiantium.
Errantes & adhuc oves,
Quas error vagus abstulit,
Et mortis via detinet,
Adduc ad tua ouilia.
Vt crescat numerus gregis
Multi aduentibus,
Vni pastor & agmini
Præsis perpetuo vnicus.

F I N I S.

736778

X 1978946


VD 17



Farbkarte #13

B.I.G.

Black
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



PÄRAPHRASIS

RATIO.
S DOMINICAE
HEROICO CARMINE
REDDIT A



L V D O V I C O

Salueldo Calensi.



I E N AE

Officina Typographica Do-
nati Ritzenhaini.

Anno M. D. LXIX.

Nicolaus
misit Joannus
poenus p[ro]p[ter]
sig. num
ludo & kij